

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4075

Auteur(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Bourgueil, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1215, février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [II], roi de France, notifie l'accord conclu entre son cousin Robert de Courtenay et l'abbé et les moines de Bourgueil sur la commune des habitants de Coudres et de Nonancourt.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1112, p. 300-301.
- b. Boussard Jacques, Monicat Jacques, Samaran Charles, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 3, années du règne XXVIII à XXXVI (1er novembre 1206-31 octobre 1215), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; 7), 1966, n° 1359, p. 503-504.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod, cum inter carissimum et fidelem consanguineum nostrum Rotbertum de Corteniaco et abbatem et conventum Burguliensem super quadam communia, quam homines de Coldres cum hominibus de Nonancourt fecerant, et quibusdam aliis consuetudinibus diu litigatum fuisset, auditis hinc inde attestationibus legitimorum hominum, tam militum quam aliorum, coram nobis, assensu partium, sopita est contentio in hunc modum : quod prior haberet justitiam de hominibus de Coldris et aliis de suo tenamento, donec curia sua abjuretur pro defectu juris, et tunc veniant ad Nonancourt partes ad faciendum jus et capiendum, et emenda erit dicti Roberti. Prior habet submonitionem suorum hominum. Si duellum acciderit, in curia prioris judicabitur et armabitur, et armati ducentur ad Nonancourt. Dominus de Nonancourt custodiet campum, et emenda erit prioris. Prior habet omnia placita in terra sua, excepto placito de spata. Homines autem de Coldris non erunt de communia de Nonancourt nec de alia, nisi de assensu et voluntate abbatis et conventus Burguliensis. Predicti vero homines de tenamento de Coldris debebunt ire ad bunos curandos per duos dies infra octavas Pentecostes, et ad plessas per tres dies in feriis Natalis, et moltam debent prefati castelli domino. Predicti etiam homines ad firmandum castrum adducunt pallum et legariol, et debent auxilium ad adducendum ramentum ad faciendum capitale edificium domini de Nonancourt rationabiliter, quando opus erit et erunt submoniti. Adducunt etiam tempore guerre de segetibus suis ad Nonancourt ubi voluerint, ad munimen castrum et ad opus ipsorum. Si famulus domini de Nonancourt transiens per Coldras inveniat forisfactum domini sui, predicti homines capient illud, custodient vel adducunt ad Nonancourt, prout famulus jurabit ; quod nisi fecerint, domino de Nonancourt emendabunt. Prior debet moltam, de unoquoque sacco unum boissellum, et plenum

farinagium, et ipse prior primus molet post primam (sic) molentem. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate presentem paginam confirmamus. Actum Parisius anno Domini MCCXIV^o, mense februario.